

## CCXLVI.

Anno 1745. die 1. Julii. Viennae.

Instructio novis supremis comitibus et officii supremi comitis administratori in Comitatus Inferioris Slavoniae a Sua C. & R. Majestate data.

MARIA THERFSIA (tit.) Fideli nostro, Magnifico Baroni Ladislao Vajay de Vaja qua Comitatus de Posega Officij Supremi Comitis Administratori, Salutem et Gratiam. Siquidem ad mentem Articuli 18 et 50 Novissimae Diaetae 1741 Districtus Syrmij et inferioris Slavoniae, exceptis Confinijs, Banali et Provinciali Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Jurisdictioni incorporari, illosque, incluso Valkoviensi, in tres Comitatus, Syrmiensem utpote, Poseganum et Veröczensem subdividi resolverimus; ex his vero Moderationem Comitatus de Posega Tibi, qua Officij, uti praemissum est, Supremi Comitis pro interim Administratori, concediderimus: Igitur, ut tam Tu, quam reliqui Subalterni quoque ejusdem Comitatus Officiales, hac vice per Commissionem nostram Regiam, ad incorporationem praefatorum Districtuum Limitationemque et regulationem antelatorum trium Comitatum cum Deputatis dictorum Regnorum ad faciem Loci proxime descensuram, provisorie ad ratificationem nostram eligendi et constituendi, Muneribus et Officij Vestris tanto exactius satisfaciatis, Vobis tam in Communi quam particulari sequentem Instructionem dandam esse duximus, Et quidem:

Primo: Tam Administratori, quam reliquis subalternis Comitatus Officialibus ante omnia incumbet, ut in Comitatu ipsis concedito continuo resideant et Officiis suis diligenter praesint, cumprimis vero Gloriam Dei Omnipotentis et Religionem Orthodoxam Romano Catholicam, pro exigentia Legum Regni, pro parte praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae conditarum, omnimode promovere et propagare satagant. Sed quia Syrmij Incolae (ab) olim quoque Religionem (Graeci ritus non unitam) profiterentur, hi vero cum Clero ipsorum benigna Regia Privilegia haberent, per Majestatem quoque Nostram in Anno 1743 benignissime confirmata, ideo eosdem Incolas penes eadem Privilegia sua, tenore etiam hic Copialiter annexarum benignarum Patentium Nostrarum, ipsis noviter extradatarum, imperturbate conservent. In reliquo autem sedulo attendent praefati Comitatus Officiales, ne Popae ac Graeci Ritus Episcopi illorum ab iisdem ullas illicitas et arbitrarias Collectas, mulctas item pecuniarias, aliasve extorsiones pro lubitu ipsorum exigere et extorquere attentent; sed neve etiam Domini Terrestres Normam iisdem in Anno 1737, respectu Obligationum ipsis a Subditis suis praestandarum, praescriptam, usque